

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Ambrosius Ep. 7. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

598 VITÆ SANCTORVM. 7. Dec.
lacrimis poscere, anhelare gemitibus, precibus
orare, jejuniis cogere; domo interea nisi ad tem-
pla, numquam pedem cfferre; verbo ut genibus
ita vitæ consuetudini callum obducere, jamque
raro miraculo inter medias mundi turbas sola
agere, & patrias ædes sibi in monasterium ver-
tere. Constitit interea corpusculo etsi tam male
habito suus nihilominus vigor & integra semper
valetudo, ut videres non tam asperitatem vitæ,
quam delicias obesse. Obiit anno partæ salutis
cccc.l. Vitæ laudatorem habuit Hieronymum;
imitatorem quem nunc? Ex D. Hier.

Beati qui in Domino vigilant cum sobrietate & ca-
stitate: protegen:ur enim ab eo in judicii die, & ut
sponsi comites atque amici cum gaudio & latitiâ eum
sequentur & aspicient. S. Ephrem in Beatitud.

S. AMBROSIUS EP. 7. Decembris.

AMBROSII infantis osculum apes ajunt inse-
disse, verissimos ejus eloquentiæ vates. De-
prompsit sanè, cum libuit, ore suo melos, & hoc
ad eo ipsum Augustinum inescavit, ut qui à Ma-
nichæis venenū hucusque hauserat, ex ore deinceps Ambrosii mel legeret. Episcopum Medio-
lani prodigiosus præco infans proclamavit. Di-
centi ad populum astare bonum Angelum ipsi
hæretici viderunt & inviderunt. Inter hos mul-
tum illi negotii Arriani, plus Imperatrix Justina,
latrones, magique, plurimum dæmon malus fe-
cit; sed incassum omnes. Majestatis Pontificiæ
memor, neque majestatem Imperatoriam exhori-
ruit. Itaque Theodosium ob cædem Thessalonici-
ensem publicè reum non nisi post publica pœni-
tentis animi signa templo pede permisit inferre,
illud

illud Davidis exemplo se tuenti in clamans, Secutus es errantem, sequere pœnitentem. Vedit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, numquam ita extollendum, nisi ita demissum fuisse. Porro AMBROSIUS obfessos ab orco libertati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosam pompâ transtulit, ipsius vero calumniatores morte subitâ vindicta Deus abstulit. Moriturum cælesti voce excitus Honoratus Epis. sacro pane refecit, morienti vero blandum arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ viderit. Ex Paulino.

Cum diluculo surgimus, debemus, priusquam procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus facili, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit. Ut enim ego securus dormiam, ille vigilat. S. Ambr. serm. 43.

CONCEPTIO B. M. V. 8. Decembris.

Peculum sine macula ostendimus, VIRGINEM Conceptam. Festi hujus diei originem, quæ sub annum cœpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. VVilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ potiente, missus ab hoc Helsinus Præfus est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, forte per eos dies gravi tempestate jactatur. Nulla aliunde ope affulgent, Stellam maris MARIAM vocat. Adebat pro hac e cælo Nicolaus, spondet manum naufrago, si VIRGINIS Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsidit mare, enatar & vota Helsinus Sospitatri exsolvit. Atque hac initia ampliora D. Anselmus fecit: amplissimis